



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Chronologia Christiana

**Herbipoli, 1694**

Sæculum VI. Ab Anno 500. ad 600.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65495)





SÆCULUM VI.

AB ANNO 500. ad 600.

§. 1. *Romani Pontifices.*

LIV. **S.** HORMISDA Campanus  
 Conf. elect. An. 514. obiit  
 An. 523. die 6. Augusti. ad  
 hujus Papæ usque tempora Arrianos  
 templa & Conventus publicos habentes,  
 JUSTINUS Pius Imper. exterminavit,  
 nec minus *Eutychianos & Nesto-*  
*rianos.* Ita *Genebrard.* Magna igitur  
 sub Hormisda ejus zelo cura & sapi-  
 entia Romanæ Eccles: pax introducta  
 est, adeo ut & ipsi Magdenburgici  
 centuriatores inter Doctores Ecclesiæ  
 Hormisdam prædicent.

LV. S. JOANNES I. Tuscus Conf.  
 elect. A. 523. obiit A. 526. die 25. Maij  
 Constantinopolin ad JUSTINUM  
 Imperat: proficisci Rege *Theodorico*  
*Arriano* compulsus ibidem à *Iustino*  
 Imperat. cum tota civitate cereis &  
 crucibus in honorem SS. PETRI &  
 PAU-



PAULI ad duodecim millia passuum obviam prodeunte sollemnissimè exceptus est. Narrat *Gregor. Mag. lib. 3 dial. c. 2.* equum quo Summus Pontifex vetus fuerat nullo modo potuisse postea iterum à Domina conscendi, quæ illum antea conscendere sueverat. Constantinopoli, autem Reversus & Ravennam evocatus, quòd à Justino tam honorificè exceptus esset, diuturno carcere ob Ecclesiam strenuè contra Arrianos propugnatam à *Theodorico* necatus, & Martyrio coronatus est.

LVI. S. FELIX IV. (aliis III.) Sarmius elect. A. 526. obiit A. 530. die 25 Febr. primo ab Arriano Rege *Theodorico* Pontifex creatus, quam creationem, nec ipse, neque Ecclesia approbavit, sed penitus recusavit, quanquam in Clero dignissimus esset, post dies autem 58. legitimè à Clero elect. eodem adhuc anno mortuo *Theodorico* & Succedente in Italia *Alarico*, quam Arriano, magnam expertus est Ecclesiæ tranquillitatem: *Cassiodoro* nimirum *Alarici* Cancellario, qui Ca-  
tho-



AB ANNO 500. AD 600. 85

tholicus erat, & aulæ postmodum sæculoq; omninò renunciavit, Regis animum moderante, & in Ecclesiæ favorem inflectente.

LVII. BONIFACIUS II. dictus à Græcis AGATHO Romanus elect: A. 530. obiit 531. die 17. Octob. decretum edidit, ut vivens Pontifex successorem nominaret, ne scilicet sæcularis potestas post mortem Pontificis electionem turbare posset, verum ubi id contra Canones antiquos esse edoctus fuit, generosâ humilitate idem decretum revocavit & ipsemet in ignem conjecit, ut omni valore privaret. Ita *Christoph: Ott. in Româ gloriosâ.*

LVIII. JOANNES II. Rom: elect: A. 531. obiit A. 535. hujus Pontificis Laudes his verbis complectitur concilium Carthaginense 217. Episc. A. 535 ut legere est *tom. 2. Concil. in Agapero. talis es qualem Sancta Sedes merebatur habere Pontificem, dignus veneratione, & plenus dilectione. &c.*

LIX. S. AGAPETUS Rom: Conf: elect: A. 535. obiit A. 536. ad hunc  
cum



cum *Jus. d. ianus Imper.* misisset fidei suæ Confessionem, Confirmationem petens à Pontifice, eam, quidem impetravit, sed hac Sententia, insignem ut refert *Baronius An 535. num. 31. Firmamus, laudamus, amplectimur: non quia Laicis auctoritatem predicationis admittimus, sed quia Studium vitæ vestra patrum nostrorum Regulis conveniens, Confirmamus atq; roboramus. &c* hac censura cautior factus Imperator, nullam in posterum privatam confessionem fidei, sed communem usurpavit. Cum rogaretur idē Pontifex literis Imperatoriis ut *Arrianos* Episcopos pœnitentes cum honore reciperet & in Episcopatibus suis permanere sineret, respondit *veros pœnitentes non curare honores.*

LX. S. SYLVERIUS Campanus S. Hormisdæ filius ex legitimo matrimonio ante Sacerdotium susceptus, elect: A. 536, miseria ac fame oppressus martyrii coronam obtinuit in carcere A. 540. die 20. Junij: conspiratione enim *Theodora Imper:* hæreticæ, ac *Vigiliæ Diaconi*, quem illa Papā fieri peropta-



optabat ut hæreticis faveret, per *Belisarium* magnum Ducem *Justiniani* in carcerem, intrusus est, causa afficta quod urbē Gothis proderet cogitasset.

LXI. S. VIGILIUS Roman: elect:

A. 540. obiit A. 555. hic licet tyrannica invasione Papatum ceperit (hujus enim consilio in exilium relegatus est Papa *Sylverius* ut ei in Papatu, promovente *Theodorâ*, & *Justiniano* succederet) postmodum tamen, à Clero in Cathedra Apostolica legitime collocatus revera Pœnituit, & cum ductus esset Constantinopolim nolletque jubentibus *Theodorâ* & *Justiniano*, *Anthemium* (alii *Anthemium*) hæreticum Ecclesiæ suæ restituere, alapis contusus est, ad percutientes autem aliud non respondit quam hoc: *facite ut vultis: Digna factis meis recipio, Malis promissis non est standum, male promisi & pejus adimplerem.* Fune dein per civitatem tractus & in exilium abactus Syracusis mortuus est.

LXII. PELAGIUS I. Rom: elect:

A. 555. obiit 559. die 2. Martij. sub hoc  
Pon-



Pontifice Gothi Duce *Totila* Romam capiunt, sed *Pelagij* auctoritate cives ab internecone, & fœminæ omni militum violentiâ immunes servantur. refert *Genebrard*, eundem septem horas Canonicas instituisse.

LXIII. JOANNES III. Rom: cognomento CATELLINUS elect: An. 559. obiit A. 572. d. 5. Julij à *Genebrardo* & *Baronio* ad annum 573. inter Sanctos Pontifices numeratur ob insignes virtutes quibus in Pontificatu præluxit, sub quo *Theodimirus* Suevorû Rex primò ad Eccles. Cathol: accessit magno gaudio & incremento Ecclesiæ.

LXIV. BENEDICTUS I. Roman: cognomento BONOSUS, elect. An. 573. mortuus an. 577. d. 31. Julij, multæ virtutis ac tolerantix in persecutione Longobardorum, quam inter fœvissimas numerandam esse testatur *Baronius*, demum propternimis afflictam Ecclesiam mærore consumptus.

LXV. PELAGIUS II. Roman: ex Familia Gothorum elect: An. 577. à *Genebrardo* in *Chronico* Sanctis adnumerat-



meratur. Consilio & ope usus *S. Gregorij* Orientalem & Occidentalem Ecclesiam Schismate divisam, & Italiam à Longobardis vastatam plurimum regimine suo exhilaravit, & reparavit. donec peste correptus obiit An. 590. die 8. Februarij.

LXVI. *S. GREGORIUS* Rom: cognomento Magnus elect. 590. depositis honoribus muneribusq; Sæcularibus ad amplectendam vitam monasticam, sex monasteria erexit in Sicilia, & unum Romæ. Acerrimus adversus hæreticos, & fortissimus in Ecclesia Dei propagandâ. Primus fuit qui se scripsit *SERVUM SERVORUM DEI*, Ut reprimeret *Joannis Episcopi Constantinopolitani* arrogantiam qui se *PATREM OECUMENICUM* nuncupavit, omnes alios Episcopos infra se tanquam simplici titulo Vicarios despiciens. Obiit An. 604. Mart: 12. Regim: 13. rebus tam præclarè gestis ut ipse Calvinus *Gregorium* appellet *S. PONTIFICEM lib. 4. Instit. c. 7. §. 22. & VERUM ECCLESIE ROMANÆ EPISCOPUM, lib. 4. c. 17. §. 49.*

E

§. 2. Ro-



S. 2. *Romani Imperatores.*

LIV. **J**USTINUS I. THRAX è Bulco Imper: clarissimus, fidei Catholicæ defensor, & propagator inter alia liberalissimè Ecclesiis donata obtulit Romæ Patenam auream xxv. pondo, gemmis decoratam, sic *Baron: an. 526. num. 8. SYMB: quod pudet hoc pigeat.* Imperavit An. 9. decessit An. 527.

LIV. JUSTINIANUS Nepos JUSTINI ex sorore, à pietate & Justitiâ, quam initio sectatus est, celeberrimus Imper: usus in condendis legibus *Triboniano* gentili J. C. defecit tandem ad hæresin *Euych*: Causa lapsûs fuit partim, quòd se nimis Ecclesiæ negotiis immisceret, partim quòd hæreticis familiarem se fecerit, reliquam vitam in Catholicis graviter infectandis traduxit usque dum morte repentinâ sublatu est A. 565. Imp. 38. pro illius conversione stat *Nicephorus* & *SS Gregorius* & *Agatho* honorificè de eo loquuntur, sive ob aliquam de eo conce-  
ptam



ptam pœnitentiæ opinionem, five quod hæresin suam nullo edicto promulgaverit, multa vero edicta pro fide Catholica ediderit. *Baron. An. 565 num. 3. 4. 5. SYMB: ejus Summum Jus, Summa injuria.*

LVI. JUSTINUS II. Nepos JUSTINIANI ex sorore *Vigilantiâ*, in Imperii sui primordiis egregiæ virtutis suæ signa dedit, sed moribus factus est supra modum dissolutis. Unde & Symbolum ejus fuit: *Libertas inestimabilis*. Cum à mago aliquo fascinatus esset, Sanatus est divinitus, illius fræni tactu, cui clavus Christi insertus erat. Ita *Gregor: Tur: lib. de gloria Marty: c. 6.* assumpsit Collegam *Tiberium*, & cum eo imperavit ab an. 578. usq; 582.

LVII. TIBERIUS CONSTANTINUS. Liberalissimus in pauperes, reprehensus ideò à *Sophia Augusta* respondit: *non deerunt unum fisco nostro;* quam etiam fiduciam sibi placuisse ostendit Deus. Nam thesauro plus quam centum millium nummorum aureorum reperto, ansam accepit TIBERIUS



suam magis ac magis in pauperes inflammandi charitatem, donec naturæ cessit an. 586. SYMB: *Stirps pauperum, thesaurus divitum.*

LVIII. MAURITIUS TIBERII gener regnandi percupidus, & simul fidei Catholicæ Studiosus defensor. Ob avaritiam militibus exofus, conjugæ ac liberis ante oculos ejus trucidatis à PHOCA peremptus est. A. 602. Imp. 16. SYMB: *Quod timidum, idem & crudele.*

### S. 3. Concilia.

Concilium quadruplex *Roma*, duo An. 502. tertium 503. quartum An. 504. sub *Symmacho*. AGATHENSE An. 506. AURELIANENSE 507 ad postulationem *S. Remigij* à *Clodoveo* Rege procuratum. EPAUNENSE sub eodem *Symmacho* 509 à *Sigismundo* Rege Burgundio, Præfide *S. Avito*. TARRACONENSE 516. ILERDENSE sub *Ioanne* I. An. 524. VALENTINUM 525. Tolentanum II. 531. Constantinopolitanum 536. & Hierosolymitanum eodem anno. AURELIANENSE II. III. IV. & V. 536.



536. 540. 543. 552. CONSTANTINO-  
POLITANUM II. Oecum: contra Orige-  
nistas, 553. PARISIENSE I. 559. CLA-  
ROMONTANUM in Avernia Anno 541.  
BRACARENSE 563. XANTONENSE 569.  
TURONENSE II. 570. LUGDUNENSE I.  
570. II 587. MATISCONENSE A. 582.  
& II. 588. HISPALENSE 590. Cæsar  
AUGUSTAN. 592. BARCINONENSE 599  
contra Simoniacos. Omnia communi  
Ecclesiæ usu recepta Concilia.

#### S. 4. Schismata.

**L** *Aurentius Romanus* contra *Sym-*  
*machum* creatus Antipapa, *Festi Pa-*  
*tritij* factione, dejicitur à Concilio II. in  
quo 115. Episcopi, & Rex *Theodoricus*.  
A. 502. \*Schisma quartum in Ecclesia fe-  
cit Schisma quintum, per *Dioscorum*  
*Simoniâ* infamem, qui contra *BONI-*  
*FACIUM* II. elect. in Antipapam, brevi  
cum suo Schismate extinctus est. A. 530  
\* *Felix* & *Vigilius* aliquamdiu Schisma-  
tici tandem facti legitimi Pontifices.

#### S. 5. Propagationes Fidei.

**A** Nglo-Saxones conversi ad fidem  
E 3 in



in Northumbria à *S. Iusto* Episc. anno  
 565. \* Visigothi Arriani conversi ad  
 fidem Catholicam à *S. Leandro* Episc.  
 Hispalensi, qui ordinatus erat An. 569  
 obiit an. 603. \* Armeni conversi, \* Item.  
 Hispania & Occitania cum *Reccaredo*  
 Rege: \* Boij sive Bavari per *Rupertum*  
 Episc. \* Longobardi cum *Aidulpho*  
 Rege & Uxore *Theodelinda*. \* Himerani.  
 \* Austrasij per *S. Amandum* denuò  
 edocti. \* Blemeyes populi Æthiopiæ  
 agente *Iustiniano*. \* Picti per *S. Colum-*  
*banum*. \* Sardi barbarici auspiciis *S. Gre-*  
*gorij Magni*. \* *Naaman* Rex Saracenus  
 cum suis, \* Angli denuò per *S. Augustin.*

### S. 6. Persecutiones Fidei.

**A** *Nastasis* Imper. hæreticis in O-  
 riente favens Ecclesiam Catho-  
 licam vexat. *Theodoricus* Italiæ Rex  
*Arrianus* in *Ioannem I.* Papam in *Boë-*  
*tinum* & *Symmachum* sævit. *S. Sigis-*  
*mundus* Rex Burgund: Martyr cadit  
 526. *S. Hermenegildus* Rex iussu patris  
 obtruncatur 583. *S. Golaudus* insignis  
 Martyr in Perside 593.

S. 7. San-



## §. 7. Sanctitate Clari.

**S**avitus Viennensis Episc: 521. S. Brigidida Scotæ 521. S. Maria Egypt: 525. S. Benedictus cum Sorore sua Scholasticâ 540. S. Leonardus 546. S. Maurus 562. S. Medardus 564. S. Radegundus 500. S. Germanus 559.

## §. 8. Hæretici.

**S**everus à quo Severiani sive Acephali. Aphtartodocitæ qui & incorruptibiles Phantasiastæ, Gaiunitæ dicuntur, Tritheitæ. Monophysitæ. Monothetitæ, Jacobitæ à Jacobo Zanzalo. Barfaniani. Traditæ, Canonitæ. Cantobabditæ.

## §. 9. Initia Religios. Ordin.

**S**benedictus Ordini suo initium dat anno 520. Monachos informant S. Egidius Abbas in Gallia Narbon: An. 520. S. Eugenius Abbas in Iurenst Monaste: S. Claudij: S. Romanus Abbas in territor: Lugdunensi An. 520. Theodora ex Scorto Augusta & Uxor Iustiniani conversas meretrices in unum cætum adunavit. ex Procop. in hist. arcane

## §. 10. Initia Regn. &amp; Princ.

**Q**uadripartita Regni Francici divisio



visio inter *Clodovai* filios *Lotharium* vel *Clotariū*, *Theodoricum*, *Clodomirū*, *Childebertum*, Sueffione, Metis Aureliæ, Lutetiæ regnantes. 515. \* Longobardi occupant Pannoniam 549. \* Polonici Principatus initia 550. \* Longobardici in Italia 570. \* Exarchorum Ravennatum in Longino 566. \* Vascones ex Hispania Citeriori plana Aquitanix occupant. 587. \* Moxq; Sclavi Illyricum.

### *S. II. Instit. Sacror. Rituum.*

**B**eneficiorum origo sub *Symmacho* Papa, cum antea stipem acciperent Clerici. \* Anni cœpti numeraria Christi Nativitate sub *Iustiniano*. \* Festum Purificationis Deiparæ ob liberatam à lue urbem *Constantinopoli*: Pontif: *Bonifacio* A. 545. \* à *Pelagio II.* horæ Canonice privatim recitandæ ab ordinatis in Sacris, qui choro interesse nequeunt A. 560. \* *S. Gregorius* instituit in Ecclesia antiphonas in missa\* modum Chori & psalmodias. \* *Litani*as seu supplicationes majores, quæ longè



longè ante in usu erant apud Græcos  
 in Festo *S. Marci* ordinavit. \* Quatuor  
 dies ab initio quadragesimæ adjecit. \*  
 Novies Kyrie eleison, Alleluja & Of-  
 fertorium dicere jussit. \* Statis diebus  
 Ecclesias frequentanti delictorum pæ-  
 nas Canonicas condonavit. \* Præpo-  
 suit horis Canonicis versum: *Deus in*  
*adjutorium &c* \* Incepit Stationes Ro-  
 mæ, & Scholas musicæ. \* Adoratio-  
 nem crucis nudis pedibus feria 6. in  
 passione, *Genebrard*: Errant autem qui  
 putant nomen missæ ab ipso excogita-  
 tum cum reperiatur. apud *S. Ambrosium*  
 & *S. Augustinum*, & antiquiores Patres.

*S. 12. Nova Reperta & Na-  
 tales Urbium.*

**S**pecula ænea Uistoria *Procli* in-  
 ventum 514. \* Justinianus Co-  
 dex ex tribus Codicibus *Hermogeniani*  
*Gregoriani* & *Theodosiani* confectus per  
*Tribonianum* aliosque Jurisconsultos  
 529. \* *Tribonianus* cum aliis Mandato  
*Justiniani* ex immensa legum multitu-  
 dine quæ in librorum duo millia, &



versuum trecies centena millia excre-  
verat 50 Libros Pandectarum seu Di-  
gestorum per titulos ordine digessit.  
533. \* Serici ex ovis bombycum con-  
ficiendi ratio innotescit Europæ per  
Monachos ex India appulso An. 557.  
\* *Iustinopolis* ab Istris Sclavonico tu-  
multu territis conditur in Capraria In-  
sulâ. \* *Crema* metu Longobardorû 570.  
\* *Imola* 575. \* *Victoria* Civitas à *Leovigil-*  
*do* Hispano conditur A. 580.

### §. 13. Natur. Discipl. Periti.

**D** Fulgentius Episc. Boëtius. Diony-  
sius exiguus. D Anastasius Sinaita  
Ep. Liberatus. Ennodius Episc. D. Victor  
Caprianus. E. Procopius Gazæus. Pro-  
masius E. Ioan. Maxentius S. D. Cli-  
macus. Cassiodorus. Hesychnus Ep. D.  
Gregorius Turan. E. D. Gregorius Ma-  
gnus P. Petrus Diaconus. Fortunatus E.

### §. 14. Natur. Discip. Perit.

**I** Tribonianus cum aliis 16. Jurisperitis  
• compiler Digestorum. Theophilus.  
Dorotheus. P. Damascius. Simplicius. Jo-  
anes Philipponus. Boëtius. *Math.* Hero  
Mecha-



AB ANNO 500. AD 600. 99

Mechanicus. Heliodorus Larissæus. Philol.  
Priscianus. H. Procopius. Agathias. Jor-  
nandes, Marcellinus comes. R. Thelesinus  
Elius. P. Fortunatus Arator, Merlinus. Ca-  
ledonius. Vates Anglorum.

### §. 15. *Strategi & Prælia.*

**A** *Laricus* cadit manu *Clodovei*. &  
Exercitus immensâ strage affi-  
citur An. 507. \* Octoginta armatorum  
millia à *Theodorico Ostrogotho* contra  
*Clodoveum* submissa configunt Cæsis  
20. Francorum millibus An. 508. \*  
*Belisarius* & *Narses Buccellinus* immen-  
sa strage in prælio affectus ad Capuam  
à *Narsete*, A. 555. \* *Belisarius* Roma-  
norum spes & gloria ita à *Iustiniano*  
iterum depressus fuit ut mendicare co-  
geretur his verbis: *Date obolum Belisa-  
rio, quem virtus exulit, invidia depressit,*  
\* Dux Mauritii Philippicus.

### §. 16. *Universit: & Scholæ.*

**I** nstaurata per *Iustinianum Betyrensis*  
Academia terre motu excisa. \* Scho-  
læ Romanæ Theologicæ ab *Agapeto*  
Papa Institutæ An. 535.

§. 17.



§. 17. *Res Memorabiles*

**O**lympus quidam in Africa cum positus in balneo SS. Trinitatem blasphemasset telo igneo de cœlis misso aduritur An. 503. *Sigib.* \* Episcopus Catholicus cum Ariano de Fide disputans zelo accensus hominem invitavit ad fidem suam ignibus comprobendam, quod recusante Ariano Catholicus per ignem Salvus transit 506. *Cedrenus.* \* Ariano Episcopo Constantinopoli alia formâ quàm Catholicorum baptizante, aqua baptisterii dispersa ruit. 506 *Sigib.* \* Corpus S. Antonij Magni repertum divina revelatione. \* Episc. aliqui Orthodoxi quibus Wandalis linguas absciderunt, divinitus tamen locuti sunt sine impedimento A. 530 \* *Turonis* ex pane abscisso sanguis verus effluxit *Sigib.* A. 583. \* In Nilo visa animalia utriusq; sexus figura humana ad renes usq; prædita, quæ Dei nomine adjurata à prima luce usq; ad nonam se conspicienda præbuerunt. An. 586. \* Jesu Christi tunica inventa publi-



publiceque honorari cœpta Hierosoly-  
 mis An. 593. *Genbr. in Gregor:* \* Con-  
 stantinopoli infans quadrupes nasci-  
 tur *Sigib* An 595. \* Pseudopropheta  
 quidam Bituricensis ex fatuo ductor  
 exercitus grassatorum plusquam trium  
 millium tandem astu opprimitur 596.  
 \* *Machomet* ab *Ismaele* originem tra-  
 hens *Abdalâ* patre, *Henniâ* matre, stir-  
 pe vigesimâ tertiâ nascitur An. 600.  
 Primus *Arabum* seu *Ismaelitarum*, sive  
*Saracenorum* (vel à *Sara* Uxore *Abra-  
 ha*, vel à *Sara* monte quem ipsi incole-  
 bant) eorumque Pseudopropheta edo-  
 ctus à *Sergio* & *Ioanne* Arianis, Mona-  
 chis, legem ex Judæis, gentibus, &  
 Christianis composuit, quam partim  
 verbis & prodigiis mendacibus, par-  
 tim armis hominibus persuasit.

### §. 18. *Eventus Tragici.*

**A** *Alexandria* multi utriusque sexus à  
 Dæmone possessi canum instar la-  
 traverunt An. 515. *Sigib.* \* *Antiochia*  
 ingenti terræ motu atque incendio sub-  
 versa est & concremata, ita ut *Euphra-  
 sis*



*sius Episc:* & populus innumerabilis illic interierint An. 525. *Baron. in hoc anno num. 13.* \* Fames tanta in Italia ut matres suos liberos comederent. *Geneb. in Vigilio* An. 539. \* In variis Gallix Provinciis signa permulta. Cometa in die Paschatis: Cœlum igneum: Sanguis verus defluit in vestimenta hominum: Secuta ingens calamitas: & morbus pustulis & vesicis horrendus *Sigib.* An. 541. \* Pestis gravissima ab Ægypto orta, & mundum universum per annos 50. pervagata *Baron An. 544.* \* *Totila* Italix vastator FLAGELLUM DEI cognominatus *Palm.* An. 545. \* Mons Rhodano imminens à monte contiguo abruptus post editos mugitus multas domos, Ecclesias & homines obtrivit An. 562. \* Diluvium ingens *Venetis* cum ingentibus tonitruis permixtum, quod pestis subsecuta ob factorem Serpentium in ripas ejectorum An. 586. *Palm.* \* Romæ pestis sæva An. 590. qua *Pelagius II.* mox extinctus est. & A. 591. pesti accessit gravius malum, plurimi enim solâ stertuta-



AB ANNO 500. AD 600. 103

nutatione animam effundebant; Unde sternutantibus piè apprecandi consuetudo confirmata est.



## SÆCULUM VII.

AB ANNO 600. ad 700.

### §. 1. Romani Pontifices.

LXVII. **S**ABINIANUS Italus \* elect. A. 605. Gregorio successit, sed non sedit nisi menses quinque; constituit coram venerabili Sacramento lumen perpetuum & ut ad horas diurnas in Ecclesiis pulsaretur. Subitâ morte extinctus An. 605. d. xi. Martii.

LXVIII. BONIFACIUS III. Roman. elect. A. 606. Sedit non nisi novem mensibus: à *Genebrardo Sanctus Pontifex* appellatur. Illud effecit per PHOCAM Imper: ut titulus PATRIARCHA OECUMENICUS quem sibi *Constantinopolitanus* Patriarcha superbè arrogârat nulli præterquam Romano Pontifici attribueretur; ob quam causam  
sam